Camelin Antonii: Dissertatio ex processu iuris de rescriptis.

Camelin. Antonius respond. 1765. Crac

DISSERTATIO ex *PROCESSU JURIS* de RESCRIPTIS.

1. Attento Nomine, Rescriptum importat omnes responsiones (1) ad quamcunque petitionem scripto datas: prout verò estSupremorum Principum, definitur, quòd sit (2) Responsum à Supremo Principe ad consultationem, relationem, vel supplicationem alterius in scripto datum. Hinc liquet, quòd tribus de causis Rescripta Pontificia concedi soleant, videlicet, consulendo, referendo, & supplicando: constatq; tribus partibus, (3) utpote, narratione, supplicatione, & conclusione; quarum priores duæ respiciunt Impetrantem, tertia verò nempe Conclusio respicit Principem rescribentem.

2. Quæ quidem Rescripta habent (4) vim Legis, seu Constitutionis inter Partes, non solùm Legis privatæ, verùm etiam Legis universalis & communis lato modo sumptæ: idque non ex primæva sui origine, ast quia postmodùm publica Authoritate inter Corpus Juris Communis relata, & veluti Lex (5) Communis solemniter edita fuerant. Cùm inter Leges & Rescripta plures interveniant differentiæ: tum, quia Lex propriè sumpta fertur pro tota (6) Communitate: Rescripta verò dantur in favorem Privatorum. Tum quia ad obligationem Legis requiritur solemnis ejusdem publicatio, secus est in Rescriptis, quæ tunc publicari dicuntur, quando Judici (7) præsentantur.

A 3.

(1.) *Gregor. Tholosan. lib. 1. de Rescript. n. 4.* & *alii.* (2) *l. Appellandi usus. ff. De Appellat.* & *Relat. Abb. Hostien.* & *alii.* (3) *Baldus in c. super Litteris. n. 14. h. t. Engel. eod. n. 6.* (4) *§. Sed & quod. Instit. Imper. De Jure nat. gent.* & *civ. ibi* -- Quod principi placet, legis habet vigorem -- & *l. 1. ff. De Constit. Princip.* (5) *Reiffenst. lib. 1. tit. 3. §. 1. n. 12.* (6) *can. Erit autem. dist. 4.* & *l. 1. ff. De Legib.* (7) *Reiffenst. loc. cit. n. 1.*

3. Et loquendo de rigore non est (1) idem Rescriptum, Privilegium, Beneficium, & Mandatum. Quia *Rescriptum* est id, quod Princeps scribit ad Juris observantiam, unde verba Rescriptorum interpretationem recipiunt (2) à Jure communi, & dicitur Rescriptum secundùm Legem. *Privilegium* est, quod Princeps contra communes Regulas Juris cuipiam concedit, & dicitur quasi (3) Lex privata, neque esset privata, nisi aliquid speciale indulgeret, appellaturque Rescriptum contra Legem. *Beneficium* verò accipitur pro gratia à Principe concessa (4) præter Jus, estque Rescriptum præter Legem. Quamvis in lata significatione appellatione *Privilegii* (5) veniat & *Beneficium*; & è contra, appellatione *Beneficii* veniat quandoque *Privilegium*. Per *Mandatum* autem *Apostolicum* (6) intelliguntur Litteræ illæ, quibus Papa mandat alicui provideri de Beneficio Ecclesiastico seu Præbenda. Alio nomine appellatur (7) *Mandatum de providendo*.

4. Dividuntur autem Rescripta communiter (8) in *Rescripta Justitiæ* seu *ad lites*, & in *Rescripta Gratiæ*, seu *ad Beneficia*. Illa sunt, quæ expediuntur per Principem ad delegationem seu decisionem causarum judicialium: hæc dicuntur ea, quæ dantur ad obtinenda Beneficia Ecclesiastica, & alias similes gratias. Ejusmodi Rescripta alio nomine vocantur *Litteræ Beneficiales*, item, *Mandata Apostolica de providendo*, vel, *Gratiæ expectativæ*, Solentque expediri in multiplici forma: & sic alia expediuntur *in forma pauperum*, seu, *in forma communi*, quando alicui, paupertate ipsius allegata, de Beneficio per Papam providetur. Et secundùm (9) quosdam dicuntur *Rescripta Justitiæ*, quia æquum & justum est, ut pauperi Clerico & ad Ordines promoto conferatur Beneficium, gratìs tamen. Veriùs tamen est, ea censeri (10.) *Litteras gratiosas*, haud obstante, quòd procedant de Justitia. Alia expediuntur *in forma dignum*: videlicet quòd sic Pontifex Litte-

ras

(1) *Rebuffus in Praxi Beneficiorum. §. Differentiæ inter Privilegium &c.* (2) *c. Causam. h. t. & ibi Abb. n. 1.* (3) *can. Privilegia. dist. 3. c. Abbate §. Contra. De Verb. Signific.* (4.) *Reiffenst. loc. cit. n. 18.* (5) *Sperellus decis. 21. Fori Ecclesiast. n. 21.* (6) *c. Mandamus. c. Abbatem. h. t. & c. Si Capitulo De concess. Præbend. in 6to.* (7) *Rebuff. loc. cit. §. De Mandat. Apostolic. n. 2.* (8) *comm. Dom.* (9) *Pirhing h. t. n. 234.* (10.) *gloss. in Extravag. Sedes. Joannis XXII. v. Gratiæ. De concess. Præbend. Rebuff. loc. cit. tit. Do Rescripto in forma communi. n. 6.*

ras suas ordiatur -- *Dignum arbitramur* -- quando mandat, ut alicui Beneficium conferatur, si post diligentem examinationem dignus seu idoneus reperiatur. Alia expediuntur in forma-*Rationi congruit* -- quia tale initium habent: qualia solent dari, quando Papa Successor expedit Litteras super collatione Beneficiorum, quas ejus Antecessor voluit, sed morte præventus non potuit expedire. Alia expediuntur -- *Motu proprio* -- in quibus ejusmodi Clausula apponitur -- *Motu proprio* -- quæ Clausula tollit vitium subreptionis, adeò, ut valeat provisio de Beneficio cuipiam facta per Papam motu proprio, etiamsi non habeatur mentio de prioribus Beneficiis (1) per ipsum antea obtentis.

5. Insuper Rescripta super Beneficiis litigiosis obtenta ratione diversarum Clausularum, quas obtinent, diversis quoque nominibus appellantur: qualia sunt -- *Si alteri* -- *Si neutri* -- *Si nulli* -- & -- *Perinde valere* -- Et quidem ubi inter duos orta lite super Beneficio Ecclesiastico, alter eorum Litteras impetrat, ut sibi Beneficium conferatur, ea conditione, si alteri litiganti Jus in Beneficio non sit quæsitum, dicuntur Litteræ, seu, Rescripta -- *Si alteri* -- Quòd si verò duobus litigantibus tertius à Papa impetrat Litteras, ea conditione, ut si neutri litigantium Jus competat, sibi Beneficium conferatur, tunc is dicitur impetrasse Litteras - *Si neutri* - Si tandem tres litigant de Beneficio, & alius à Papa Litteras obtineat, ut, si nulli litigantium sit Jus in beneficio quæsitum, istud ipsi conferatur, tunc appellantur Litteræ -- *Si nulli* -- Jam verò Litteræ -- *Perinde valere* - dantur, quando Papa gratiam à se concessam, v. g. factam collationem Beneficii, sed aliqua ex causa irritam, v. g. ob taciturnitatem Beneficii antea obtenti, valere (2) decernit.

6. Cœterum Rescripta Justitiæ & gratiæ differunt inter se. *1mo.* quia in *Rescriptis Justitiæ* apponi solet filum canabis, in quo plumbum pendet: in *Rescriptis* verò *Gratiæ* apponi solet filum sericum. Quare ad deprehensionem falsi, filum Bullarum est diligenter (3.) inspiciendum. *2do Rescripta Justitiæ* sunt præsentanda intrà annum, postquam Impetrans habuerit copiam Judi-

(1) *c. Si motu proprio. De Præbend. in 6.* (2) *Barbos. tract. de Clausul. Claus. 100. n. 4. & sequ.* (3.) *c. Quam gravi. de Crimine falsi. Rebuff. loc. cit. tit. Differentiæ inter Rescripta &c.*

cis Delegati: alioquin valet secundum Rescriptum ab adversario impetratum, etiam non facta mentione (1) de primo. Jam verò in *Rescriptis Gratiæ* non est certum tempus in Jure præfixum, quo præsentari (2.) debeant. 3tio In *Rescriptis Justitiæ* attenditur tempus *Præsentatæ*, seu factæ (3) præsentationis, intelligitur enim in illis tacita (4) conditio -- *Si præsentetur* -- & ante factam præsentationem Rescriptorum Justitiæ Judex Delegatus nullam habet (5) Jurisdictionem. In *Rescriptis* autem *Gratiæ* attenditur tempus (6) *Datæ*.

7. Cùm verò contingat plura Rescripta per diversos impetrari: quare videndum est, quod nam sit *generale*, & quod *speciale*: cùm *speciale* (7) deroget *generali*, etiamsi de illo nulla facta fuerit mentio. Quod intellige etiam de Rescriptis gratiosis & Privilegiis, quāvis *Rescriptum Gratiæ* sicut & *Privilegiū* priùs concessū non tollatur (8) per secundum. Dummodo generalitatis illius non priùs facta fuerit specificatio: nam facta ejusmodi specificatione seu nominatione Personarum vel rerum, jam cessat ratio generalitatis, sicque Litteræ speciales postea impetratæ non ampliùs derogant (9) prioribus. Immo si primum Rescriptū fuerit *speciale*, alterum *generale*, & ita valebit (10) *speciale*: tum ratione prioritatis, tum ratione specialitatis. Si autem utrumque Rescriptum est *generale*, tunc attenditur, quod

(1) *c. Si autem. & c. Plerumque. h. t.* (2.) *d. c. Si autem & ibi DD.* (3) *Est comm. per text. in c. Ut debitus. De Appellat.* (4) *arg. c. Super eo. De Appellat. ibi* -- Si autem infra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cùm Judices contigerit Litteras recepisse -- (5) *Reiffenst. ubi supra. n. 69.* (6) *text. in c. Eam te. De Rescript.* ibi -- Quod nullatenus fecisse deberes, si Datam Litterarum diligentiùs attendisses. -- *arg. c. Eum cui. De Præbend. in 6.* ibi -- In impetratione Beneficiorum inspicitur Data non Præsentatio vel receptio -- & *arg. c. Si eo tempore. h. t. in 6.* ibi -- In Litteris ad Beneficia impetratis inspicitur tempus Datæ. Unde per illas Beneficium Curatum obtinere non poterit, qui licèt nunc sit major, illo tempore minor erat. -- (7) *text. in c. 1. & ibi gloss. v. Mandatum c. Pastoralis. §. Quoniam. h. t. & concordat Reg. 34. Juris in 6. & l. In toto. ff. De R. J.* (8) *gloss. magna in c. 1. h. t. Abb. n. 6. & Felin. n. 10. Reiffenst. loc. cit. n. 112.* (9) *Reiffenst. loc. cit. n. 82.* (10) *Per jura proximè allegata. junct. c. Abbatem. h. t. & gloss. ibid. v. Per Litteras. ibi* -- Generale Mandatum secundò impetratum, non derogat Speciali primò impetrato. --

quod eſt magis (1) *ſpeciale.* Quòd ſi tam in uno quàm in altero major ratio ſpecialitatis non deprehendatur, prævalet (2) primum. Si verò tam primum quàm ſecundum *Reſcriptum Juſtitiæ* eſt *ſpeciale*, tunc vel poſterum facit mentionem de priori, & valebit ſecundum: vel in ſecundo Reſcripto nullà fit mentio de priori, & valet (3) primum, habeturq; ſecundum pro ſubreptitio. Niſi Impetrans primum Reſcriptum dolô vel negligentiâ per annum, habitâ copiâ Judicis Delegati, eodem uti poſtpoſuerit, tunc enim valet ſecundum (4) Reſcriptum, licèt non faciat mentionem de primo. Ejusmodi verò negligentia arbitrio Judicis, inſpectâ qualitate Perſonæ, Cauſæ, ac loci diſtantia (5) relinquitur. Nihilo tamen minus ſecundum Reſcriptum ad lites impetratum nullà factâ mentione de priori non eſt ipſo Jure nullum, ſed ope exceptionis annullandū, ita, ut Proceſſus valeat per Judicem poſteriori Reſcripto datum formatus, ſi contra illud ab adverſario nihil (6) excipiatur.

8. Et dato, quòd licet ceſſantibus Clauſulis aliud exprimentibus, Papa non intendat gravare eandem Eccleſiam, ſeu eundem Collatorem ſuper receptione ac proviſione duorum Beneficiorum, adeoque uno Beneficium obtinente (7) repellatur alter: cæterum ſi duo ſuper Beneficio ſimili in eadem Eccleſia ſibi conferendo Reſcripta impetraverint, conſtetque ſimul, quis primò impetraverit, regulariter ſtatur *Datæ* & non *Præſentationi*, adeò, ut primus Impetrans præferatur, non autem ille, qui priùs ſuas Litteras (8) præſentaverit: nam qui prior eſt tempore, potior eſt (9) Jure. Niſi

ſi pri-

(1) *Rebuff. tract. de Reſcript. n.* 104. (2) *Reiffenſt. loc. cit. n.* 84. (3) *c. Cæterum. h. t. & comm. DD.* (4) *text. in c. Si autem. c. Plerumq; & ibi gloſſ. fin. h. t. & c. Tibi qui. eod. in 6. c. Ubi qui gratiam eod. in 6.* ibi -- Dum tamen dolus tibi non poſſit vel notabilis negligentia imputari. -- *& c. Si Clericus. De Præbend: in* 6. ibi -- Cum facta ei gratia per negligentiam ſit extincta. -- (5) *arg. c. Cum ſit Romana. De appellat. gloſſ. in cit. c. Si Clericus. v. Negligenter. text. in l. Continuus. §. Cum ita. De Verb. Obligat.* (6) *Eſt communis per text. d. c. Si autem. & c. Plerumque. & Reiffenſt. loc. cit. n.* 92. *cum DD. quos citat.* (7) *c. Mandatum. c. Abbatem. h. t. junct. c. Duobus. eod. in* 6. (8) *comm. DD.* (9) *Reg:* 54. *Juris in* 6. *& d. c. Mandatum. c. Abbatem. & c. Cum cui. De Præbend. in* 6.

si primus Impetrans obtinuerit solummodo *Gratiam expectativam*, seu, *Mandatum de providendo*, & alius postmodùm similes Litteras impetravit, easque non solùm ante primum Impetrantem præsentavit, sed etiam virtute earum eidem Præbenda actualiter collata fuit. Quia in tali casu (1) Præbenda est relinquenda secundo jam Proviso & non primo. Præterquam si datus Executor ordinario Collatori notificasset, se velle per potestatem Papalem sibi factam conferre Præbendam, aut eidem collationem Præbendæ inhibuisset, aut hanc suæ Collationi reservasset, aut si *Decretum irritans* Papæ in Litteris primi Impetrantis appositum fuisset. *Item.* præfertur secundus Impetrans ob dolum & negligentiam (2) primi Impetrantis in præsentandis suis Litteris. *Item* quando secundus Impetrans habet in Litteris suis appositam Clausulam - *Anteferri* -- vi cujus Clausulæ, utpote quæ est revocatoria prioris *Gratiæ expectativa* alteri factæ, jubetur omnibus (3) anteferri. *Item* quando Papa primo mandat provideri de Præbenda, & secundo de Præbenda & Dignitate, Personatu, aut Officio in eadem Ecclesia: tunc enim si Præbenda vacans est annexa Dignitati, Personatui vel Officio, præfertur (4) secundus; secus, non. *Demum*, quando secundus Impetrans habet Jus suum à Papa, primus verò ab inferiore: quo in casu ratione amplioris prærogativæ præexistentis in Conferente præfertur (5) secundus primo. Verùm si unus impetret Litteras Beneficiales à Papa, alter ab inferiore v.g. Episcopo, nec appareat, quæ Collatio fuerit priùs facta, ille præfertur, qui est in possessione (6) Beneficii: quia in pari causa potior est conditio possidentis. At dato casu, quòd Pontifex neutri eorum, aut utrique Canonicatum contulerit, tunc is, qui primò præsentavit Rescriptum Apostolicum, potior est in Præbenda. Si autem ambo in præsentando concurrant, tunc illi, ad quos spectat Canonicorum receptio & Collatio Præbendarum, vel major eorum Pars, ex eis alterum, quem voluerint, eligere tenentur: quo electô, alter penitus care-

(1) *c. Tibi qui. h. t. in 6. juncta gloss. v. In casu. & I D. ibid.* (2) *d. c. Tibi qui. & vide supra n. 7.* (3) *c. Quia sæpe. & ibi gloss. v. Apparet. & c. Quodam. De Præbend. in 6.* (4) *text. in d. c. Quia sæpe.* (5) *text. in c. His qui. De Præbend. in 6. Reiffenst. loc. cit. n. 103. & 107.* (6) *Reg. 65. Juris in 6.*

carebit impetratis, nisi ex tenore Litterarum expresse appareat, quòd Pontifex (1) utrique eorum providere voluerit.

9. Hinc est, quod Rescripta omnia tum Justitiæ, tum Gratiæ, sicuti & Privilegia, quando verba sunt clara, intelligenda & interpretanda sunt (2) secundùm propriam significationem. Ast in dubio *Rescripta Justitiæ*, si de contraria voluntate Rescribentis non constet, intelligi & interpretari (3) debent secundùm Jus Commune: ejusmodi enim Rescripta dantur ad Juris observantiam. Quare in dubio non censetur Papa aut Princeps velle decernere aliquid Juri communi contrarium, cùm mens Principis censeatur esse talis, qualis de Jure (4) esse debet. Insuper *Rescripta Justitiæ* strictè (5) sunt interpretanda, nec ad casum vel personam in Rescripto non expressam sunt extendenda: per talia namque Rescripta detrahitur Jurisdictioni (6) Judicum Ordinariorum. Itaque si quis impetraverit tale Rescriptum, in quo sunt designatæ Personæ aut Causæ minores vel viliores, addita Clausula generali -- *Et quidã alii* -- sive -- *Cognoscatis super his & quibusdam aliis* ,, utique vi istarum Clausularum non possunt conveniri Personæ (7) majores & digniores, neque cognosci causæ majores & graviores. Neque sub hac Clausula -- *Et quidam alii* -- comprehenditur effrænata (8) multitudo. cùm per illam solummodo tres aut quatuor personæ (9) in judicium trahi seu conveniri possint. Etsi Rescriptũ dictum impetratum fuerit contra homines certæ Diœcesis v.g. *Cracoviensis*, non possunt (10) conveniri homines *Civitatis Cracoviæ*: quia in materia strictæ interpretationis appellatione Diœcesis non comprehenditur (11) Civitas. Pari ratione per Rescriptum impetratum contra hominem unius Diœcesis non potest conveniri (12) homo ejusdem nominis alte-

(1) *c. Duobus. §. 2. & 3. h. t. in 6.* (2) *l. Licet Imperator. ff. De Legat. 1. & l. Ille aut illa. ff. De Legat. 3. c. Ad audientiam. De Decim. & c. Porro. De Privileg.* (3) *c. Causam. & ibi Abb. n. 1. Felin. n. 9. Fagnan. n. 4. h. t. & alii comm.* (4) *l. Ex post facto. ff. De vulgar. & pupill. substit.* (5) *gloss. in c. Non nulli. v. Lites restringendæ: h. t. c. Cum olim. c. P. & G. De Offic. & Potest. Jud. Deleg.* (6) *Ferraris in Bibliotheca Canonica. tit. Rescriptum. n. 19.* (7) *text. in c. Sedes Apostolica. h. t.* (8) *d. c. Sedes Apostolica.* (9) *c. 2. h. t. in 6.* (10) *c. Rodulphus. h. t.* (11) *gloss. in c. unic. v. Diœcesi. De rer. permut. in 6.* (12) *c. Significante. h. t.*

alterius Diæcesis: idque ob defectum voluntatis ex parte Concedentis, siquidem] Rescripta, quæ continent delegationem causarum, regulariter concedi non solent nisi ad Judices Delegatos intrà Diæcesim Rei existentes, aut saltem non nisi cum Clausula derogatoria dietarum: cum alioquin Reus extra suam Diæcesim trahi non possit (1) ultra duas dietas, im mo de Jure (2) novo nec ultra unam dictam. Eodem ratiocinio de *Rescriptis Gratiæ* dicendum venit, quæ cùm nemini præjudicent, sunt latè & amplissimè (3) interpretanda, nisi sint impetrata ad Beneficia Ecclesiastica obtinenda, quia tunc, utpote cùm sint ambitiosa, veniunt strictè interpretanda (4) & restringenda.

10. Sed quid de *Privilegiis*? Horum (5) interpretatio est duplex: per extensionem, seu, extensiva, & per comprehensionem, seu, comprehensiva. *Per extensionem* est, per quam (6) Legis alicujus decisio extenditur ad alium casum vel personas, tam ultra verba Legis, quàm ultra mentem Legislatoris, quamvis non contra mentem ipsius. *Per compehensionem* est, quæ fit ultra verba Legis, sed non ultra mentem Legislatoris. Et hæc tunc intervenit, quando decisio Legis extenditur ad alium casum seu personam non comprehensam sub verbis Legis, comprehensam tamen sub mente (7) Legislatoris. Præterea interpretatio Privilegiorum, alia est *Authoritativa*, seu, *Authentica*, vel, *Definitiva*, ac *Judicialis*, quæ fit à Principe (8) Privilegium concedente, seu ejus Successore, & ipsi standum est, tam in, quàm extra

tra

(1) *c. Nonnulli. h. t.* (2) *c. Statutum. §. Cum vero. eod. in 6. Layman. in d. c. Significante.* (3) *text. in l. Beneficium. ff. De Constit. Princip. c. Quia circa. De Privileg. c. Quamvis. De Præbend. in 6. & est comm.* (4) *Est comm. per text. in cit. c. Quamvis. ibi* -- Quamvis plenissima sit aliâs in Beneficiis interpretatio facienda, Litteræ tamen super Beneficiis obtinendis debent, cùm sint ambitiosæ, restringi. -- (5) *Fagnam. in c. Quod nonnulli. n. 26. & 28. De Privileg.* (6) *arg. c. Cum dilecta. §. Non igitur. De Confirmat. utili vel. inutili.* (7) *l. Scire oportet. §. 2. ff. De Excusat.* (8) *arg. l. Inter æquitatem. l. Si Imperialis. C. De Legib. ibi* -- Si enim in præsenti leges condere soli Imperatori concessum est, & Leges interpretari solo dignum Imperio esse oportet -- & *c. Inter alia. De Sent. Excomm.* ibi -- Unde Jus prodiit, interpretatio quoque procedat. & *c. Cum venissent. De Judic. junct. ejus Summario.* ibi -- Solus Papa cognoscit de dubiis Privilegiorum Apostolicæ Sedis & non inferior. --

tra Judicium. Alia est *Doctrinalis*, seu, *Magistralis*, quæ à Magistris seu Doctoribus (1) dari potest & solet. Hinc interpretatio Privilegiorum *Authentica*, seu, *Authoritativa*, vel, *Definitiva*, ac *Judicialis* fieri potest à solo Concedente (2) Privilegium, vel ejus Successore: interpretatio verò *Doctrinalis*, seu, *Magisterialis* potest (3) fieri etiam à Doctoribus seu Magistris, aliisve in Jure versatis. Cæterum ubi verba sunt clara, nulla admittitur (4) interpretatio. Et Privilegium non est extendendum (5) ab una persona, cui concessum est, ad aliam non expressam, sicque nec ab uno casu ad alium. Si verò Privilegia non sunt contra Jus commune, debent latè (6) interpretari: sicut è contra, Privilegia, quæ sunt contra Jus commune, & cedunt in præjudicium alterius, sunt strictè (7) interpretanda: nisi in Privilegiis concedatur aliquid favore (8) Cultus Divini, aut favore (9) Causæ publicæ, piæ, religiosæ, quale Privilegium est exemptionis Clericorum à Jurisdictione Principum Sæcularium, concedens facultatem (10) dispensandi & commutandi vota &c. aut nisi Privilegium contra Jus commune concessum, concessum sit motu (11) proprio ipsius Principis.

11. Inspiciendum quoque est, num Rescriptum aliquo laboret vitio, necne? Etenim Rescripta sive *Justitiæ*, sive *Gratiæ* aliquādo *subreptitia*, aliquādo *obreptitia* fiunt. Et quidē quādo tacetur veritas ad rē per se & intrinsecè pertinēs, necessariòq; exprimen-

(1) *l. un. C. De Professor. Urbis Constantinopol.* (2) *arg. cit. l. Inter æquitatem. & d. c. Cum venissent. cum ejus Summar.* (3) *d. l. un. C. De Professor. Urb. Constantinop.* (4) *l. Licet Imperator. ff. De Legat. 3. & c. Recepimus. De Privileg.* ibi -- Inspicienda sunt ergo Privilegia, & ipsorum tenor est diligentius attendendus -- *gloss. in c. Cum dilectus. v. Nec Juri communi De Consuetud.* ibi -- ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi -- (5) *Est comm. per text. c. Sane. De Privileg.* (6) *Est comm. per text. c. Cum olim. De Verb. Signific. c. Quia circa. De Privileg. & d. l. Beneficium.* (7) *Comm. DD. per c. Super eo. De Offic. Deleg.* ibi -- Non tamen est nostræ intentionis Diæcesano Episcopo præjudicium generare -- *& c. Quæ à Jure. De Reg. Jur. in 6.* ibi -- Quæ à Jure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. (8) *Fagnan. in c. Olim. n. 25. De Verb. Signific.* (9) *l. Sunt personæ. ff. De Religios. & sumptib. funer.* (10) *Lessius de Just. & Jur. cap. 42. n. 60.* (11) *c. Si motu proprio. c. Si pluribus. De Prabend. in 6. Reiffenst. ubi supra. n. 135.*

menda, aut quando per confusã seu callidam ejus narrationem occultatur, dicuntur *Rescripta subreptitia*. Quando verò narratur & exprimitur falsitas, dicuntur *Rescripta* (1) *Obreptitia*. In hoc enim *Ob*, & *Subreptio* (2) consistit: quòd illa narret, exprimatve falsitatem, ista taceat veritatem. Quod vitium *Ob* vel *Subreptionis* si per fraudem, dolum, & malitiam committatur, vitiat Rescriptum in totum: Si autem *Ob* vel *Subreptio* contingat ex ignorantia aut simplicitate, non vitiat (3) substantiam Rescripti. Quod procedit etiam de illis qualitatibus & circumstantiis, quæ de Jure Communi, Consuetudine, aut Stylo Curiæ Romanæ specialiter sunt exprimendæ, quæ si non exprimantur, ignorantia & simplicitas (4) non excusat. Talium siquidem expressio pertinet ad formam Rescripti, quæ ad unguem observanda est, ac sine qua non subsistit (5) actus, Processusque contra formam Rescripti attentatus, irritus, hoc est, ipso Jure nullus (6) decernitur, ejusmodique Rescripta contra communem stylum & praxim Curiæ Romanæ, præsumuntur (7) falsa & rejici debent. Quemadmodum & *Rescriptum Gratiæ* obtentum contra consuetudinem (8) sive statutum particulare cujuspiam Ecclesiæ, non valet, nisi fiat mentio ejusdem saltem per Clausulam generalem -- *Non obstantibus Statutis & consvetudinibus contrariis*. --

12. Contingere autem potest (9) *Subreptio*, vel circa *causam motivam* Rescripti, qua non existente Princeps Rescriptum non concessisset, vel saltem non tam absolutè, sed restrictè, sive sub certis Clausulis. Vel circa *causam impulsivam*, qua non existente Princeps Rescriptum concessisset, sed non tam facilè. Igitur si *Ob* vel *Subreptio* contingit circa *causam impulsivam*, non vitiat (10) Rescriptum: secus est, si con-

(1) *c. Super Litteris. h. t. & est comm.* (2) *comm. DD.* (3) *est comm. per text. in cit. c. Super Litteris.* (4) *Fagnan. in d. c. Super Litteris n. 58. Engel n. 12.* (5) *Reiffenst. ubi supra. n. 167.* (6) *c. Cum dilecta. ubi gloss v. Irritum. h. t. & c. Cui de non Sacerdotali. De Præbend. in 6.* (7) *can. Rescripta. 25. q. 2. l. Rescripta. C. De precib. Imperat. offerend. & l. ult. C. Si contra jus.* (8) *c. Constitutus & ibi Abb. n. 6. h. t. & c. Cum aliquibus. eod. in 6.* (9) *Reiffenst. loc. cit. n. 183.* (10) *gloss. in c. Ex parte. v. Falsa. De convers. Conjug. c. Dudum. §. Nos igitur. De Præbend. in 6. Reiffenst. loc. cit. n. 184. & DD. quos citat.*

si contingat circa *causam motivam* seu *finalem*. Unde ne Rescripta reddantur *Subreptitia*, oportet in illis, & quidem in *Rescriptis Justitiæ* mentionem facere (1) primi Rescripti, Personæ privilegiatæ, litis pendentiæ, tum coram quo Judice lis pendeat. In *Rescriptis Gratiæ* oportet mentionem (2) facere alterius Beneficii, si quod Impetrans jam habet, sive illud sit sufficiens ad honestam Clerici sustentationem sive non. Sive sit (3) Dignitas, Personatus, aut alia qualitas. Si jam alicubi (4) receptus est in Canonicum, licèt fructus nondum percipiat. Generaliter enim in impetratione Rescripti Beneficialis oportet (5) fieri mentionem non solùm *de Jure* quod quis habet in Beneficio jam obtento & possesso, quale vocatur *Jus in re*, sed etiam de *Jure ad rem*: narrandaque sunt, non solùm ea, quæ sunt (6) Juris, sed etiam ea, quæ sunt facti. Quocirca, ad deprehendendam *Subreptionem* apponi solent Clausulæ quædam in Rescriptis, videlicet -- *Si ita est* -- *Si preces veritate nitantur* -- *Salvo Jure alterius* -- & aliæ, quæ saltem subintelligi (7) debent.

13. Non minus vitiat Rescriptum error (8) manifestus Latinitatis, si sit gravis: nam si fuerit levis, non vitiabit (9) Rescriptum, v.g. defectus unius litteræ vel Syllabæ. Similiter neque per errorem in nomine & cognomine commissum vitiatur (10) Rescriptum, utpote, si constat de persona, pro qua sunt concessa: non enim propter nomen, sed personam Supplicantis, qualitatesque illi intrinsecas conceditur (11) Rescriptum. Pariter ob rasuram vel cancellationem Litterarum in loco suspecto (12) Rescriptum tanquam falsum atque invalidum rejici potest & nihil probat. Locus autem suspectus dicitur esse, quando in ver-

(1) *Reiffenst. loc. cit. n. 197. & sequ.* (2) *c. Cum. teneamur. De Præbend. c. Cum adeo. c. Si proponente. c. Postulasti. h. t.* (3) *c. Ad aures. h. t.* (4) *c. In nostra. h. t.* (5) *arg. cit. c. In nostra. & Abb. ibid. n. 2.* (6) *gloss. in c. In nostris. v. Non vacaret. De concess. Præbend. & in c. Super. Litteris v. Littera. h. t.* (7) *text. in c. 2. h. t. d. c. Pastoralis. Reiffenst. loc. cit. à n. 141.* (8) *Est comm. per text. Ad audientiam. h. t.* (9) *c. Ex parte. De fide Instrum.* (10) *Felinus in c. Significante. n. 1. h. t.* (11) *c. Intelligentia. De Verb. Signific.* (12) *c. Licet. & ibi glos. v. Tenuem. De Crimine falsi. & c. Venerabilis. De Religios. domib.*

verbis diſpoſitivis (1) facta eſt litura: aliàs in ea parte Reſcripti, unde potiſſima ipſius vis, ac mota deſuper quæſtio dependet. Cæteroquin ſi raſura reperiatur in loco non ſubſtantiali, Reſcriptum Apoſtolicum non red ditur (2) vitioſum. Aut ſi ſit modica, ideſt paucarum litterarum non mutantium (3) ordinarium ſenſum. Aut quando ex præcedentibus verbis, aut aliis hujusmodi Reſcriptis ſatis apparet, raſuram (4) ſuſpectam non eſſe. Relinquitur tamen Judicis (5) arbitrio, quænam ſit raſura modica, & quando ſenſus rectè percipi queat. Aut ſi Notarius in fine Scripturæ, & ante ſubſcriptionem inſtrumenti, atque appoſitionem Sigilli atteſtetur, qualiter ipſe abraſit tale verbum, in tali linea &c. nam tunc raſura illa (6) nihil officit, cùm in tali caſu & diem & teſtes habet; ſecus eſt, ſi talis atteſtatio per Notarium facta eſſet in margine, aut poſt ſubſcriptionem, quia tunc die & teſtibus careret. Aut quando Reſcriptum exhibitum fuit coram Ordinario clauſum & ſignatum: nam & tunc raſura, ſi quæ apparet, potiùs in Cancellaria (7) præſumitur facta, quàm ab impetrante. Aut ſi Inſtrumentũ reperiatur (8) penes meum adverſarium: utique in mei præjudicium non vitiatur. Aut demum quando Reſcriptum habens raſuram corroboratur (9) per vivam vocem Teſtium. Verùm ſpeciale eſt illud de Litteris Apoſtolicis: quòd ſi conſtet, abraſionem quantumvis modicam in eis factam eſſe ab Impetrante vel utente, ipſæ redduntur nullæ, ſicque radens efficitur (10) falſarius & excommunicatus.

14. Et deſcendendo ad finẽ Diſſertationis præſentis, *Reſcripta Juſtitiæ* expirant (11) morte Concedentis, intellige re adhuc integra. Aut etiam ceſſatione Officii ipſius Delegantis (12) per

(1) *Abb. in c. Ex litteris. De fid. Inſtrum.* (2) *gloſs. fin. in d. c. Venerabilis. Reiffenſt. ubi ſupra. à n. 225.* (3) *Maſcard. de probat. Concl. 1261. n. 10.* (4) *d. gloſs. fin. in d. c. Venerabilis.* (5) *Menochius de Arbitr. Judic. cas. 187. n. 41. Maſcard. loc. cit. n. 20.* (6) *Maſcardus loc. cit. n. 17. & alii.* (7) *Engel. h. t. n. 15.* (8) *arg. l. Majorem. junct. gloſs. & DD. ibid. C. De l. Cornel. de fals. Maſcardus n. 22. & alii.* (9) *arg. Authen. De Inſtrumentor. Cautela. Collat. 6.* (10) *gloſs. in cit. c. Licet. v. Tenuem. De Crimin. fals. Fagnan. in c. Ex conſcientia. eod.* (11) *l. Et quia. ff. De Juriſdict. omn. Judic. c. Relatum. c. Gratum. & c. Licet. De Offic. Deleg.* (12) *Anchoran. in c. Gratum. in fin. & alii quos refert Reiffenſt. loc. cit. n. 235.*

per renuntiationem, depositionem, vel translationem ad aliam dignitatem: non item (1) per excommunicationem, vel suspẽsionem per Delegantem contractam, quia per hanc non extinguitur Jurisdictio Delegantis, quamvis impediatur exercitium suæ Jurisdictionis. Ut autem res non sit ampliùs integra, sicque perpetuetur valor Rescripti Justitiæ & Jurisdictio delegata, sufficit Citatio Partis per Delegatum (ante) obitum Concedentis seu Delegantis (2) facta. *Rescripta* autem *Gratiæ*, cùm alia sint, quæ continent *Gratiam factam*, alia, quæ continent *Gratiam faciendam*: quare Rescripta, quæ continent *Gratiam* jam *factam*, non expirant (3) morte Concedentis, etiam re integra. E contra verò Rescripta continentia *Gratiam faciendam*, expirant morte (4) Concedentis re integra, seu quando in ejusmodi Gratiæ executione nondum est processũ: cùm per talẽ *Gratiã faciendã* nulli adhuc jus quæsitũ fuit sicuti jus quæsitũ fuit *per Gratiã factã*, illi, cui talis Gratia facta est. Rursus quando Rescriptũ Gratiæ concessum fuit tendens in favorem alterius cum determinatione personæ, v. g. ad dispensandum cum Titio, ad providendum Cajo de Beneficio, videndum est, num Executor ejusmodi Rescripti sit necessarius vel voluntarius. Etenim si *Executor* est *necessarius*, jussus exequi Gratiam cognita precum veritate, utpote, si ei in Rescripto dicatur -- *dispenses cum Titio -- provideas Cajo de Beneficio, si hac ita cognoveris* -- tunc ejusmodi Gratia censetur jam facta in favorem petentis, sicque non perit (5) morte Concedentis. Sed si *Executor* est *voluntarius*, v. g. si ei in Rescripto dicatur -- *dispenses cum Titio, conferas Cajo Beneficium, si volueris, si expedire judicaveris* -- tunc talis Gratia non dum est facta à Principe, sed primùm facienda à Delegato Comissario, si voluerit, aut expedire judicaverit, ideo morte Concedentis (6) expirat, re integra: quia in hoc casu nullum adhuc Parti jus quæsitum fuit. Cæte-

rum

(1) *Reiffenst. loc. cit. n. 236. & alii quos citat.* (2) *d. c. Gratum. & DD. quos citat. Ferraris in Bibliotheca Canonica tit. Rescriptum n. 41.* (3) *c. Si super gratia. De Offic. Deleg. in 6* (4) *c. Si cui nulla. §. fin. de Præbend. in 6.* (5) *gloss. in c. Veniens. v. Renuntiasse. De renuntiat. Rebuffus tit. de Mandatis Apostol. §. 1. v. Sui Pontificatus.* (6) *d. c. Si cui nulla. Sanchez lib. 8. de Matrimon. disp. 28. n. 94.*

tum quando *Rescriptum Gratiæ* continet Clausulam -- *usque ad Beneplacitum Sedis Apostolicæ* - vel - *donec revocavero* -- aut ejusmodi, tale Rescriptum durat (1) perpetuò, nisi à Concedente vel Successore ejus revocetur.

(1.) *c. Si gratiosé. h. t. in 6. Barbosa Claus.* 43. *n.* 21.

Et hæc de Rescriptis breviter scripta cedant ad Laudem perennem Omnipotentis DEI, omnis Justitiæ (a) Fontis & Originis.

(a) *Reiffenst. lib. 1. Decret. in fin.*

Defendentur publicè in Collegio Majori CC. DD. Jure-Consultorum sub assistentia Perillustris & Admodum Reverendi M. *ANDREÆ LIPIEWICZ*, Vtriusque Juris Doctoris & Professoris Luborzycciani, ad objecta respondente Excellenti M. *Antonio Camelin* Philosophiæ Dre & Prfre, Jurisprudentiæ Auditore. Annô MDCCLXV. Die 26. Septembris



Permissu Magnifici Domini

RECTORIS.





Camelin Antonii

Dissertatio in processum iuris de rescriptis.